

Carolus VI et c[etera]

Serenissime Dux et c[etera] acceptis demissis Regii istius nostri Locumten[entialis] Consilii Literis circa com[m]unicatam absint Episcopi Varadien[si] Instantiam, et desuper datam Com[m]issionis pro Directione Cassae Parochorum deputatae opinionem, die 12. men[sis] proxime praeteriti ad nos datis, earundemque continentiis intellectis, quoad inibi deductas Augustana, ac Helvetica Confessione, nec non Graeco Ritui addictorum Bihariensis, et Békésien[sis] Comitatum incolarum innovationes hactenus interventus, dilectioni, et fidelitatibus vestris clementer hisce rescribendum, et comittendum esse duximus, quatenus nimirum ipsum magistratum unius cujusvis dictorum co[m]it[at]uum superinde serio, et districtim denuo moneant, ne is in gremio sui a modo deinceps admittat, ut inibi degentes Augustanae vel etiam Helveticae Confessione addicti, ad loca in quibus com[m]orantur, et publicum dictarum confessionum exercitium hactenus non habuerunt, absque speciali indultu, et benigna concessione nostra, praedicantes aut ludi magistros quospiam introducant, vel templa, aut oratoria fine servandi in illis praedeclarati exercitii erigant: sed et Graeci Ritus homines cum Ecclesia Romano-Catholica non uniti, sicut alibi, ita etiam in praerecensitis co[m]it[at]ibus dum nova templa extruere, vel sub nomine restorationis talia erigere volunt, quorum rudera vix est videre, pro exoperanda idcirco Regia Annuentia nostra, praevisse semper ad Maiestatem nostram recurrere, hancque impetrare debeant.

Quod respicit praeteritum, seu ab anno 1720 ex Parte Augustana, et Helvetica Confessione addictorum, in Bihariensi, et Békésien[si] Co[m]it[at]ibus interventus innovationes, penes proallegatas Regii istius nostro Locumten[entialis] Consilii Literas sub n[um]ero 2^{do} et 3^{tio} specificè deductas, cum tam praescripto 1720, quam et subsequentibus annis per universos Regni Co[m]it[at]us, repetitis etiam vicibus publicatum fuerit, et demandatum, ne usque ad Exitum Com[m]issionis in Negotio Religionis articulariter deputata, ac eatenus impertiendam benignam resolutionem nostram, a Parte Augustanam, aut Helveticam Confessionem profitentium regnicolarum, quoad ejusmodi Confessionum Exercitium quid innovetur, benigna autem resolutio nostra, ad acta memoratae Com[m]issionis in anni 1731 data per expressum innueret, ut si Terrestres etiam Domini in Hungaria, quoad Religionis Negotium [2] contra usum antecedaneum im[m]utare quid vellent, praevisam a nobis eatenus annuentiam habere debeant, dilectio et fidelitates vestrae super innovationibus praevisio modo specificè deductis, talium locorum incolas, vel si eadem indultu Terrestrium D[omi]norum factae fuissent, hos medio co[m]it[at]ensis magistratus constitui, et audiri, cujusque autoritate, ac quare iidem praeactis Benignis Mandatis, cuncta in statu quo tunc erant, relinqui debere innuentibus, contravenire attentaverint, serio indagari ac tam hoc, quam et id unde factum fuerit, quod ipse quoque co[m]it[at]ensis magistratus, in sui gremio ejusmodi contraventiones fieri permiserit debitumque eatenus demedium in tempore non posuerit, accurate sibi perscribi curabunt dilectio, et fidelitates vestrae, facturae etiam nobis fidelem desuper relationem.

Caeterum dum Episcopus Varadien[sis] Joannes Okolicsanyin sua Regio isti nostro Locumten[entiali] Consilio die 2. Maii hocce currente anno transmissa instantia exponeret: In Varadiensi Dioecesi ultra 460 Parochias, esto magna ex Parte Catholicas repertas, Aatholicos usque modo obtinere, specificè sibi deduci curabunt dilectio et fidelitates vestrae, ex praenotatis 460 Parochiis, quae, ac quo tempore, et per quem fuerint catholicae repertae, qualiterve ac quo tempore, et cujus autoritate in Aatholicoru[m] Potestatem devenerint. Ac de hoc etiam nos circumstantialiter informabunt. De residuis quoque praedeclarata repraesentatione contentis punctis, benignam resolutionem nostram dilectioni, et fidelitatibus vestris intimaturi. Iisdem in

reliquo Gratia, et clementia nostra Caesareo Regia benigne jugiterque propensi manemus.
Datum in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae die 15. [Octo]bris, anno 1735.

Carolus m[anu]p[ro]p[ria]

Comes Ludovicus de Batthyan m[anu]p[ro]p[ria]

Petrus Végh m[anu]p[ro]p[ria]